



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Philosophiæ mundanæ quanta sit futilitas

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

potius vtilia discere, quam friuola: opera pretium nobis facturi visi sumus, si aliquot adferamus rationes, quibus liquidè declaratur, quid intersit inter sterilem ac infrugiferam Philosophorum & sapientium mundi huius scientiam, & sobriam ac longè saluberrimam proborum Christianorum sapientiam, quam nos *mysticam Theologiam* appellamus. Erunt autem rationes duo decim: Quarum prima hæc.

*Theologia mystica quæ sit.*

**C**hristianorum Philosophia, (vel vera contemplatio & mystica Theologia) inter omnes scientias facile primas sibi vendicat: quandoquidem in summo & super omnia radiantissimo vertice addiscitur, puta in æterni contemplatione Verbi, quod est præcipuus vertex & fons ac origo diuinarum scripturarum & scientiarum omnium. Vnde est apud D. Dionysium. *Dirige nos, inquit, ad summum verticem mysticorum eloquiorum.* Contra verò humana sapientia discitur in infimo huius nostræ terræ habitationis carcere, qui est vallis miseræ tenebrosæ. Sapientia Christiana & vera contemplatio in apice voluntatis (tanquam in spiritali fastigio & monte animæ rationalis) perdiscitur, Atqui sapientia humana in valle phantasæ, densis phantasmatum nebulis obsita contrahitur. Vide Augustinum Lib. IX. de S. Trinitate, Capite VI, vt is qui in mōte est, subtus videt æreæ nebulosum, supra verò aerem purum ac syncerum.

D. Dionysius Arcopagita.

S. Augustin.

*Philosophiæ mundanæ quanta sit futilitas.*

**S**apientia contemplationis Diuinæ, omnium scientiarum est compendiosissima, quippe quæ vnico ac simplici & discitur & docetur verbo. Vnde D. Dionysius vocat *mysteria Theologiæ simplicia.* Et D. Apostolus Paulus paucis verbis intra triduum (imò longè minori spacio) eam est sapientiam assecutus. At mundana sapientia & Philosophica longè lateq; diffunditur, & innumeris vix potest addici verbis, persuasionibus, exhortationibus, affirmationibus, negationibus, concertationibus & disputationibus.

Ast. 9.  
2. Cor. 11.

Iob 16.  
1. Cor. 8.

Quamobrem rectè dici possit mundi sapientibus, ex personâ veri contemplatoris, id quod habetur apud Diuum Iob: *Verbofi omnes amici mei: Ad Deum stillat oculus meus.* Iactant enim sese, & suam ostentant scientiam buccis crepitantibus mundi sapientes: at qui verè sapiens est lacrymis à Deo petit lumen sapientiæ.

Itaque mundi sapientia inflat & dispergit animum, Christiana sapientia compungit & colligit.

*Theosophia quàm sit occulta. sed facilis.*

**C**hristiana sapientia, (quæ est eadem cum Theologia mystica,) certa est & absoluta. Non enim per parabolas, figuras, ænigmata, symbola, & id genus alia addiscitur: sed dilucidè ac perspicuè, ita vt est reuera. Hanc sapientiam ex Christi pectore affatim hausit præ cæteris charior ille discipulus, quàm postea eructans, *In principio, inquit, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Ioa. 1.

Sed